

EPISTOLA DEDICATORIA.



MEMORABILE est Illustrissime ac Clementiss. Dux, Regum illud sapientissimi Salomonis exemplum, quod is inter tot tantq. Imperii sui negotia, omnium Plantarum, quo DEI OPT. MAX. sapientiam admirandam pradicaret, à Cedro inquam Libani usq. ad Hyssopum murorum, Historiam texere voluerit: quæ (heu optata) non sine magno mortalium damno interiit. Cujus tam illustre exemplum Ethnicorum Reges plures & conati & idem imitati sunt. Et, ut ex multis aliquos referam: en excimios Reges, Gentium quidem Illyrorum, à quo Gentiana: Lysimachum Macedonia, à quo Lysimachia: Telephum Mysia, à quo Telephium: deniq. Mithridatem Ponti, à quo Mithridatica nomen sibi reservat perpetuum. Quid? quod monumenta tradunt, Evacem Arabum Regem primum herbas pinxisse, ac ejusmodi depictum librum Neroni Cesari honoris gratia misisse? Recte, equidem. Existimant enim, licet clari & armis & consilio forent, illustriores futuros se, & nominis claritatem auctam iri, si de plantis vel scriberent, vel aliquas à se inventas denominarent. Quin eadem ratione quoque nomen suum non modo perpetuo hominum memoriis inhasurum, verum etiam cum plantis repullulantibus, & reviviscentibus quotannis quasi revicturum, haud temere judicant. Sane, hoc nostro seculo neuti-quam desunt HERODES vere magnanimi, qui nullis sumptibus parcentes, Hortos plantarum exoticarum seracissimos colunt: inter quos ILLUSTRISS. DUX inter primos merito collocandus: Ecquis enim quæso Principum hoc seculo, duos hortos simplicibus exoticis refertissimos, si qui alii hodie sunt, vel fuerint olim, præter I. C. T. excoli curat: alter Stutgardie, multis miraculo: Montisbeligardi alter exoticarum fertilitate notissimus, quem Johannes Bauhinus, Celsitudinis Tuae Archiater, optimus frater meus, magna cura, indefessis laboribus, ex I. C. T. mandato, indies auget & illustrat. His equidem, & majoribus etiam motus ego, (posteaquam de simplicibus aliquid nunc ab annis aliquod meditari cepissem, & quadam publici juris fecissem) labores hosce & qualescung. notas, adjectasq. icones plantarum CCC. inter quas plures nuper inventarum stirpium, plurimasq. descriptiones, quod in Matthiolo me præstitisse fateor, dicare volui: sed & jure etiam debui. Tantum enim est I. C. T. erga plantas harumq. cultores & studiosos, studium atq. patrocinium, ut nullum alium hodie videam, cui Botanica mea studia potius voveam. Accedit quod ante sesquiannum ab I. C. T. in Medicorum numerum fuerim cooptatus. Pro quo tantog. tanti Herois favore, quid deberem, agnovi dudum, sed hætenus occasio defuit: nunc conatus sum, quod conatum I. C. T. videt. Efficiat modo ut quaecung. hoc chartaceum munusculum, verius animi obsequentis & fidei debita signum, aliquam apud C. T. mereatur gratiam. Quod ILLUSTRISS. DUX, te, prout es ingenio, virtutum, disciplinarum, scientiarumq. omnium capacissimo, facturum planè confido: quod etiam submisit obtestor. Quod unum superest, DEVM VNVM ET TRINVM precor, ut CELSITVD. TVAM, ad Christianæ Reipublicæ bonum incolumem diu conservet, clementer protegat, atq. regat. Basilea, XVI. KAL. VII BR. ANNO MDLIIIC.

T. CELSITVDINIS

Humilis & observan.

CASPARVS BAVHINVS D.

INVL-